

CONCLUSIONES

EX

UNIVERSA THEOLOGIA,

QUARUM VERITAS,

DEO DUCE ET AUSPICE DEIPARA;

PROPUGNABITUR,

*Die Lunæ 11. Augusti 1721. manè, ab octavâ ad
sesqui-decimam; & serò, à secundâ ad quintam.*

IN REGIO

LUDOVICI MAGNI COLLEGIO

SOCIETATIS JESU.

H. J. r. 64.

(18)



PARISIIS,

ETypographiâ LUD. SEVESTRE, viâ Amygdalinâ, sub Montē
sancti Hilarii, è regione Collegii Grassinæi.

M. DCC. XXI.

CONCLUSIONES

EX

UNIVERSA THEOLOGIA

QUARUM VERITAS

PRO DUCIT ET AUSPICE DEI PAULI

PROFUGIABITUR

IN REGIO

IN REGIO

LUDOVICI MAGNI COLLEGIO

SOCIETATIS JESU



PARISIIS

LIBRARIUS J. B. SEVERUS, via Amygdalensis, sub Monte
S. Michaelis, in regione Collegii Christiani.

M. DCC. XXI

EX UNIVERSA THEOLOGIA.

PARS PRIMA.

DE DEO, PRIMO HOMINIS PRINCIPIO

& *Fine ultimo.*

I. *Dei existentia & unitas.*

DEI nomine intelligitur ens aliquod singulare, omni perfectionis genere actu infinitum. Existere ens ejusmodi variis demonstratur argumentis, quibus nemo sanæ mentis assensum denegare possit. Nec minùs certò constat Dei unitas quàm ejus existentia. Merito contra Ethnicos dixerunt olim Patres nullum propriè Deum ab iis admitti qui plures esse Deos contenderent. Polytheismus Gentilium necnon & veterum Hæreticorum facili operâ fictitius esse ostenditur, quippe qui multa suis diis divinitate prorsus indigna affingat.

II. *Dei scientia.*

CUM Deus sit ens perfectissimum & perfectio maxima sit nihil omnino ignorare, dicendus est Deus cognoscere quidquid cognosci potest. Scientia Dei, licet in se simplex & unica, triplex tamen dici potest pro triplici ejus objecto; alia simplicis intelligentiæ, alia visionis, alia conditionalium. Per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit Deus creaturas possibles secundum esse proprium quod habere possunt, sive illud habituræ sint, sive non. Per scientiam visionis certò novit res existentes in quacumque temporis differentiâ, hoc est præteritas, præsentis & futuras, atque adeo actus creaturarum contingenter etiam & liberè futuros. Per scientiam conditionalium præscit infallibiliter quidquid fieret à quacumque causâ in quibuscumque circumstantiis possibilibus.

III. *Dei voluntas.*

DIVINÆ menti perfectissimæ perfectissima respondet voluntas. Hanc spectamus præcisè prout salutem nostram respicit. Deus etiamnum post Adami lapsum omnes & singulos homines salvos fieri vult verè ac sincerè, voluntate scilicet antecedente & conditionatâ. Ita Scriptura tradit, ita sentiunt Patres, ita docent Concilia. E Scripturâ valet potissimum D. Pauli testimonium Ep. I. ad Timoth. c. 2. Deus omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Hunc Apostoli textum variè quidem explicat S. Augustinus, ita tamen ut interpretationem nostram excludat nunquam.

IV. *Prædestinatio.*

DEUS sic vult sincerè omnes & singulos homines salvos fieri, ut speciali modo velit salutem electorum, quos ab æterno ad gloriam cœlestem prædestinavit. Verùm an prædestinatio illa meritorum absolutè futurorum prævisionem antecedit, an subsequatur, gravis est inter Theologos controversia; nos ratione rem æstimantes, meritorum prævisione priorem arbitramur; contrariamque sententiam, etsi in speciem minùs rigidam, si tamen bene perpendatur, non habere rigoris minùs quàm nostram contendimus.

V.

Prædestinationis antecedentis notio.

IN hoc potissimum consistit gratuita illa ad gloriam prædestinatio, quod hoc rerum systema Deus elegerit, in quo certos homines salvatum iri per scientiam conditionalium prævidebat, potius quam aliud quodlibet, in quo non ignorabat sortem eorum fore dissimilem. Neque mercedis rationem detrahimus gloriæ: ea quidem destinatur gratis, habenda tamen non gratis, sed per merita. Neque est quod conquerantur reprobi conditos se potius in eo rerum systemate, in quo erant certo perituri, quam in alio quocumque, in quo salvi fuissent. *Cujus vult Deus miseretur. O altitudo!*

VI.

Dei visibilitas.

VISIO alia dici solet abstractiva, quâ res per alienam speciem cognoscitur; alia intuitiva, quâ res cognoscitur per propriam speciem, sive ut in se est. Humanam mentem propriis naturæ viribus ad Deum intuitivè videndum posse assurgere, error est jam olim reprehensus in Eunomio à sanctis Patribus; & postmodum sæculo 14^o ineunte in Beguardis & Beguinis damnatus à Concilio Viennensi. At videri potest Deus à mente humanâ elevatâ, sive auxilio supernaturali roboratâ. In quo si Græci & Armeni errant, uti dicitur, S. Joannem Chrysostomum erroris magistrum non habent.

VII.

Tempus habendæ visionis beatificæ.

DUO hîc sunt nobis errores refellendi: alter Chiliastarum seu Millenariorum; alter Vigilantiæ ac recentium hæreticorum. Commentitium est Millenarium Sanctorum cum Christo in terris post resurrectionem corporum generalem regnum. Animæ Sanctorum à corporibus solutæ, ubi nihil expiandum superest, statim ad beatificam Dei visionem admittuntur. Ita cum legitimo in Scripturâ & Traditione fundamento definitum est non semel post tempora Joannis XXII. Hic propensior equidem aliquando fuit in eam opinionem quæ visionis beatificæ retributionem ad extremi usque judicii tempus differt, nihil tamen unquam super eâ re definiit.

VIII.

Homo qualis & ad quem finem conditus.

EX hypothesi quod Deus creaturas intelligentes ac liberas condere velit, hoc earum naturæ, seu potius sibi suisve attributis debet, ut proponat ipsi hinc quidem veram aliquam beatitudinem, quam assequi possint bene agendo, illinc verò supplicium quo malè agentes puniantur. Homo ad claram & intuitivam Dei visionem destinatus, ad eam primò quidem facillimè pervenire potuisset: hunc enim non modò liberum, sed & rectum fecerat Deus, donaveratque justitiâ originali, quâ instructus nec ignorabat quæ faciendæ & quæ fugiendæ erant; nec in iis sive faciendis, sive fugiendis difficultatem ullam experiebatur.

IX.

Primi hominis lapsus.

FELICE adeo statu frueremur, nisi suâ malè usus esset libertate primus omnium parens Adamus: verum ille impositum à Deo præceptum transgressus, justitiâ originali aliisque prærogativis spoliatus, peccatorque constitutus posteros omnes peccatores constituit. Hoc fidei nostræ dogma negare varii variis temporibus hæretici: negavit imprimis sæc. 5^o ineunte Pelagius fautoribus Coelestio & Juliano. Contra hos existere peccatum originale, omnesque Adami posteros, nisi adsit speciale privilegium, ipso infici docent sacri codices, definiit Ecclesia non semel, & unanimis SS. PP. consensus, ne excepto quidem S. Chrysostomo, apertissimè demonstrat.

X.

Libertas in homine lapso superstes.

LIBERTAS à necessitate simplici, de quâ hîc agimus, est potestas voluntati intrinseca & naturalis seipsam determinandi ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Libertas sic intellecta dicitur libertas contradictionis & contrarietatis; dicitur etiam liberum hominis arbitrium aut indifferentia activa: hæc opponitur indifferentiæ passivæ, quæ est mera capacitas recipiendæ ab alio alicujus determinationis. Utramque illam libertatem tum contradictionis, tum contrarietatis existere in homine etiam lapso, probatur argumentis tum philosophicis, tum theologicis ita efficacibus, ut quisquis contrarium senserit, illum & fidei & intimo conscientiæ testimonio & ipsius rationis lumini refragari necesse sit.

XI.

Jansenii circa libertatem error.

CATHOLICUS videri volens Jansenius, nomen libertatis ac liberi arbitrii constanter retinet: imò ut à Calvino se discernat, quinque in eo carpit, quæ meritò damnata agnoscit. Primum est, quod Calvinus neget esse in homine boni & mali electionem. Secundum, quod doceat gratiam ita movere hominem, ut non sit ei liberum resistere. Tertium, quod nolit hominem pedisse quâ voluntate gratiæ consentire. Quartum, quod doceat virtutem & vitium, bene ac malè agere non esse in potestate hominis. Quintum, quod apertè doceat non esse in homine liberum arbitrium. Verùm hæc Jansenii à Calvino discrepantia in verbis tantum posita est, cum summa sit utriusque in rebus consensus. Scilicet nomine libertatis intelligit Calvinus libertatem à necessitate simplici, quam rejicit cum illo Jansenius. Jansenius verò nomine liberi arbitrii intelligit libertatem à coactione quam vicissim cum illo admittit Calvinus.

XII.

S. Augustini circa libertatem sententia.

AD stabiliendum suum illud de libertate perniciosum dogma, S. Augustini auctoritatem adhibet post Calvinum Jansenius; contendens Augustinum passim libertatem cum necessitate simplici conciliasse, & in eo posuisse concordiam libertatis cum gratiâ, quod gratia non cogat violenter voluntatem. At perperam omnino: Augustinus enim 1°. ante exortam hæresim Pelagianam agens contra Manichæos disertè astruit in homine etiam lapso libertatem à simplici necessitate. 2°. Quod eâ de re tum dixit, post exortam hæresim Pelagianam nusquam revocavit. 3°. Imò agens contra Pelagianos idipsum confirmavit. Unde meritò concludimus S. Doctorem de libertate statûs nostri non modò Jansenio non consentire, sed etiam è diametro pugnare.

XIII.

Libertatis ad merendum & demerendum necessitas.

NECCESSARIAM esse libertatem à simplici necessitate ad merendum aut demerendum negant ex hæreticis alii universè de homine tum innocente, tum lapso; alii de homine tantum in hoc nostro statu spectato. Hanc doctrinam Scripturæ testimoniis & constanti sanctorum Patrum traditioni contrariam semper detestata est Ecclesia, ac nuper in Jansenio reprobavit, ut hæreticam damnando tertiam ejus propositionem, quæ sic habet: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à simplici necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

XIV.

Concupiscentia & Ignorantia.

IT A remanet in homine lapsa libertatis essentia, ut tamen perierit ejus perfectio. Hæc in eo sita erat, quod homo innocens esset immunis ab ignorantia veri & à difficultate recti. Ab hac immunitate delapsus homo, concupiscentiæ motus experiatur & ignoret multa, necesse est. Motus concupiscentiæ indeliberati, utpote necessarii, non sunt peccata formalia. De ignorantia invincibili juris positivi ultro fatetur Jansenius, id quod ex eâ sit non esse peccatum propriè dictum: at operantem ex ignorantia invincibili juris naturalis non excusari à peccato formali contendit. Quod postremum refellitur autoritate tum sanctorum Patrum, imprimis Augustini, tum Alexandri VIII. damnantis hanc propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato.*

XV.

Peccatum personale.

HOMO abusu libertatis suæ recedit à Deo, fitque reus peccati. Peccatum aliud mortale, aliud veniale. Vvicleffus, Lutherus & Calvinus asseruerunt peccata omnia esse seipsis mortalia, nec venialia ulla esse aut dici nisi pro certis personis quibus non imputentur: non imputari autem censuerunt Vvicleffus electis, Lutherus & Calvinus justis. E Jansenianis quidam dixerunt peccata eadem esse modo mortalia, modo venialia prout cupiditatem amore justitiæ habitualiter superiorem & præponderantem constituunt aut non constituunt; declaraveruntque non tantum levibus noxis dominatum illum habitualement concupiscentiæ constitui, quod est eas esse mortales, sed etiam gravissimis quibusque flagitiis aliquando non everti ipsum statum justitiæ. His omnibus rejectis erroribus, dicimus peccata alia esse mortalia, alia venialia ex genere suo.

XVI.

Peccati lethalis malitia & pœna.

IN eo præcipuè differunt peccatum lethale & veniale, quatenus sunt contra Deum, quod lethale committatur contra Dei legem hîc & nunc graviter obligantem; veniale verò sit contra Dei legem hîc & nunc leviter obligantem. Malitia peccati lethalis in eo sita est, quod dum infringitur lex Dei graviter obligans, malit peccator excidere amicitia Dei, ejusque odium incurere, quam carere bono creato. Quamvis illius peccati malitia non sit intrinsecè infinita, de fide est damnatos quoscumque, sive quoscumque reos peccati lethalis non condonati ante mortem, puniri pœnâ æternâ.

XVII.

Peccatum philosophicum.

DU P L E X in peccato actuali distingui potest malitia: moralis consistens in pugna actûs peccaminosi cum rectâ ratione; theologica sita in eo quod peccatum sit aversio à Deo & vera ejus offensa. Quæritur an sit possibile esse peccatum, quod in re gravi admissum contra rationem, Deum non offendat, nec pœnam mereatur æternam, sive an sit possibile esse peccatum purè philosophicum & quod simul theologicum non sit. Peccati ejusmodi possibilitatem negant tum Novatores, tum Catholici: Novatores ex principio erroneo quod ignorantia invincibilis non excuset à peccato; Catholici alii ex alio principio, sed à principio Novatorum planè diverso. Recedentes & nos à Novatorum principio, peccatum omne philosophicum simul & esse theologicum asserimus.

XVIII.


Infidelium opera.

OMNES quidem concedunt opera facta ex positivâ infidelitate, adeoque formaliter contra cultum veri Dei semper esse peccata etiam formalia. Verùm an stante infidelitate nulla planè opera ab infideli fieri queant, quæ non sint peccata, controvertitur. Affirmant post Lutherum & Calvinum Baius & Jansenius sancti Augustini autoritate abutentes. Nos contra statuimus non omnia infidelium opera esse peccata. Ita docet Scriptura, ita sentiunt Patres, & nominatim Augustinus; ita expressè declarat Ecclesia in Constitutionibus Summorum Pontificum sancti Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII.

XIX.

Quomodo opera ad finem ultimum referenda.

ECCE iterum Baius & Jansenius Lutheri & Calvini, ut sæpe aliàs, vestigiis insistentes docent malum esse opus omne quod ad Deum propter se dilectum non refertur explicitè, saltem virtualiter vi intentionis in aliquo sui effectu residuæ. Eodem recidit quod aiunt malum esse opus omne quod non est ex fide per charitatem operante. Fatemur equidem, imò & contendimus hominem teneri omnes actiones suas deliberatas aliquo modo ad Deum referre tanquam ad finem simpliciter ultimum: at non tenetur Deum amare semper sive actu jugi, neque omnia ex Dei propter se dilecti amore facere; obligatio enim tanta, tamque ardua nusquam expressa in Scripturis aut Traditione habetur, neque ratione ullâ idoneâ astringitur.



P A R S S E C U N D A.

*DE MODO COLENDI DEUM,
ET AD ULTIMUM FINEM TENDENDI.*

XX.

Author Christianæ Religionis.

RELIGIONIS sensus, qui omnium infidet animis, hominem jubet & agnoscere authorem suum, & colere. Verùm postquam ab originis suæ primordio longiùs recedens homo conditorem suum oblivisci cœpit, eò tandem devenit sceleris, ut in mortales sui similes, in bruta quoque, animantes & inanima corpora, cultum soli immortalis Deo debitum sacrilegè transtulerit. Sicque factum est, ut admoneri illum & creatoris & sui, ac officia illi perscripta tradi oportuerit. Id porro fecisse creditur benignus conditor; *Multifariam*, ut ait Paulus, *multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Hic ille est Religionis Christianæ author Jesus Nazarenus Dei Filius.

XXI.

Christus ex Scripturâ verè Deus.

HUNC Jesum esse verum ac propriè dictum Deum negant inter ipsos Christianos Ariani potissimum & Sociniani, his quatuor innixi argumentis. Primum est, Christum non extitisse antequam ex Mariâ nasceretur, ut volunt Sociniani, saltem non extitisse antequam res ulla crearetur, ut volunt Ariani. Secundum est, Christum fuisse quidem Filium Dei, sed purè adoptivum, ut volunt Ariani, aut si naturalem, modo tamen ipsis creaturis competente, ut volunt Sociniani. Tertium est, Christum non esse consubstantialem Deo, nec coæqualem, ut volunt tum Ariani, tum Sociniani. Quartum est, Christum dici quidem Deum aliquatenus, sed participatione, non essentiâ, ut volunt Sociniani, aut si essentiâ, inferiorem esse quidem Deum, sed non supremum illum quem colebat Israel, ut volunt Ariani. Hæc sunt Arianismi & Socinianismi fundamenta, quæ dum Scripturæ refutant singula, totidem argumenta pro verissimâ Christi divinitate suppeditant.

XXII.

Christus ex Conciliis & Patribus verè Deus.

ECCELESIA perfectè consentit cum Scripturâ; definivit enim divinitatem Christi multis in Conciliis, sed præsertim in Concilio generali Nicæno, ubi declaravit Christum esse consubstantialem Patri; neque sine causâ vocem *Consubstantialis* adhibuit tanquam tesseram fidei; hac enim voce totam Arianismi fraudem eludebat. Quod pertinet ad traditionem Patrum, non tantum Nicæni contra Arium, sed & Antiocheni contra Paulum Samosatenum, & Alexandrini contra Sabellium, & alii adhuc priores contra Cerinthum & Ebionem eandem de Christo doctrinam habuerunt. Falsum ergo quod aiunt hæretici, Patres Antenicænos omnes contrâ sentire.

XXIII. *Christi, ejusque Religionis divinitas ex miraculis.*

HÆC quidem sufficiant adversus hæreticos: at ubi res agitur cum Ethnicis aut Judæis, alia ineunda est via. Omissis cæteris argumentis, quæ huc afferri possunt, huic uni modò insistimus. Ille est verè ac propriè Deus, qui se esse verè ac propriè Deum & verbis docuit, & miraculis comprobavit: atqui utrumque præstitit Christus. Item: Illa Religio est vera ac divina quam suus author comprobavit miraculis, quam miraculis confirmarunt ministri ac præcones sui primi: atqui talis Religio Christiana. Hinc duo illa sponte manant consecutaria: primum, Religionem aliam omnem Christianæ Religioni oppositam falsam esse; secundum, Christianam Religionem esse amplectendam & constanter retinendam.

XXIV.

Tolerantes.

CUM autem variæ sint societates quæ traditam à Christo Religionem sequi se profiteantur, superest quærendum quænam ex illis vera sit Christi Ecclesia: an ex illis omnibus unaquæque, an una tantum aliqua eo gloriari nomine possit ac debeat. Sæctarii temporum nostrorum quidam, Tolerantes dicti, volunt salutem posse obtineri in omnibus sæctis quæ christiano nomine censentur, aut certè quæ capita fidei præcipua seu articulos, ut vocant, fundamentales retinent: indeque inferunt Ecclesiam non esse unam nisi fortè unitate collectionis, quæ dissentientes sæctas omnes sinu suo complectatur. Nos contrâ contendimus veræ Christi Ecclesiæ è characteribus unum esse quod ipsa sit una unitate dogmatis & regiminis, seu fidei & autoritatis.

XXV.

XXV.

Ecclesiæ notæ.

INESSE veræ Ecclesiæ notas aliquas quibus à falsis discerni possit, manifestum est ex obligatione ineundi veram Ecclesiam, & impossibilitate salutis extra ipsam consequendæ. Notæ illæ ut veræ sint, debent 1°. notiores esse ipsâ re cuius sunt notæ. 2°. Debent ita esse propriæ veræ Ecclesiæ, ut illi soli convenient, nec possint saltem omnes simul sumptæ ulli alteri convenire. Catholici ipsi afferunt varias veræ Ecclesiæ notas, alii plures, alii pauciores, sed quæ facile revocari possint ad quatuor illas communes ab omnibus receptas & in Symbolo Nicæno hunc in modum expressas: *Credo in unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.*

XXVI.

Vera Christi Ecclesia.

ECCLESIA Romana, quam ait Bellarminus esse cœtum hominum ejusdem Christianæ fidei professione & eorundem Sacramentorum communionem colligatum sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Romani Pontificis Petri successoris & Christi in terris Vicarii, Ecclesia, inquam, Romana eaque sola est una, sancta, Catholica & Apostolica, ac proinde sola est vera Christi Ecclesia, extra quam salus obtineri non potest: *Quisquis*, inquit Augustinus Epistolâ 182. adversus Donatistas, *ab hac Ecclesiâ Catholicâ fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

XXVII.

Necessitas regulæ fidei animatæ.

OPORTERE circa fidem exoriri controversias, & hæreses esse in Ecclesiâ Apostolus jam olim præmonuit, atque ita porro evenire experientia testatur in dies. Ut servetur fidei unitas, admittenda est necessario præter Scripturam & Traditionem regula aliqua fidei vivens & animata, seu iudex aliquis qui & controversantes audire, & controversias ultimò definire possit. Secus enim, præterquam quod minùs bene consultum esset à Christo Ecclesiæ suæ, quàm ulli Reipublicæ ab institutore suo, quod dicere est nefas; nostra adhuc conditio nil differret ab hæreticorum sorte, qui quamvis Scripturas ac verbum Dei nudum sequi se gloriantur, omnes tamen inter se absque ullâ spe concordia digladiantur.

XXVIII.

Regula fidei animata.

REGULA fidei animata, seu iudex controversiarum, est Ecclesia. Non, ut volunt hæretici, Deus loquens interiùs unicuique per inspirationem, sive spiritus privatus qui controversæ rei veritatem quasi degustari faciat; hæc enim sententia fanaticam inducit quidvis sentiendi licentiam: non privatus quisque viâ proprii examinis, utique impossibilis: non fidelium cœtus, quorum non sunt docendi partes, sed audiendi: non ipsi denique simplices Presbyteri, quibus nullibi legitur concessa à Christo talis autoritas.

XXIX.

Ecclesiæ infallibilitas.

SUPREMAM hanc auctoritatem ita concessit Ecclesiæ Christus, ut promissionem insuper adjecerit specialis ac nunquam defuturæ Spiritûs Sancti assistentiæ, vi cujus Ecclesiæ in suis de quolibet dogmate judiciis infallibilis agnoscenda est. Cæterùm hæc ipsi infallibilitas æquè competit, sive in Concilio legitimo congregata, sive in sedibus per totum orbem dispersa pronuntiet; utrobique enim hæc illa est Ecclesiæ, de quâ dixit ipse Christus: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Utrobique hæc illa est Ecclesiæ Dei vivi, Apostolo teste, *columna & firmamentum veritatis.*

XXX.

Ecclesiæ Sacramenta, eorumque virtus.

SACRÆ ceremoniæ, quibus divino cultui initiamur, cùm primis sæculis magnâ cautione occultarentur, dicta sunt à Græcis mysteria, à Latinis Sacramenta. Ea volunt hæretici concurrere ad justificationem nostram, sed quatenus præcisè excitant in nobis fidem, fidem autem excitare quatenus sunt signa promissiones divinas in memoriam revocantia. Quod commentum ut evertatur, sic de totâ Sacramentorum efficacitate statuimus. 1°. Sacramenta producant gratiam. 2°. Illam producant *ex opere operato*. 3°. Illam producant semper & in omnibus obicem non ponentibus, etiam parvulis. 4°. Non tamen producant illam in adultis sine præviâ fide tanquam dispositione. 5°. Producant illam tanquam veræ causæ, non tanquam meræ conditiones. 6°. denique producant illam virtutē sibi inditâ per institutionem Christi & in meritis ejus fundatâ.

XXXI.

Modus efficientiæ Sacramentorum.

ALTERA quæstio est inter Catholicos purè scholastica de modo efficientiæ Sacramentorum. In sententiâ Thomistarum gratiam physicè producant Sacramenta, quatenus scilicet elevata vel extrinsecè per uberiores Dei concursus, vel intrinsecè per qualitatem infusam producant immediatè vi suæ entitatis ipsam gratiæ entitatem. Juxta Scotistas Sacramenta non sunt nisi causæ morales gratiæ: hoc autem sic explicant. Sacramenta 1°. sunt moraliter actiones Christi, quibus homines sibi, tanquam membra capiti, conjungit & adoptat in fratres regniq̃ cœlestis cohæredes. 2°. Quatenus moraliter actiones Christi, merita ejus continent ac per ea sibi inclusa, tanquam per virtutem sibi intrinsecam movent Deum ad producendam in subjectis ritè dispositis gratiam. Rejectâ Thomistarum sententiâ, sententiam Scotistarum amplectimur.

XXXII.

Baptismus.

BAPTISMUS Ecclesiæ janua non immeritò dicitur, ipse siquidem ad cætera Christianæ Religionis mysteria aditum nobis aperit. Primum inter vera ac propriè dicta novæ legis Sacramenta locum obtinet. Effectus ejus primarius est remissio peccati originalis. Hæreticum sit dicere solâ Baptismi olim accepti recordatione dimitti peccata quæ post ipsum admittuntur. Omnibus non solum adultis, sed & parvulis atque iis etiam qui ex parentibus fidelibus orti sunt, ita est necessarius ad salutem æternam consequendam Baptismus, ut sine illius auspicio, aut susceptione, aut voto nullus possit salvari.

RE A L E M Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiam, qualem docet Ecclesia, impugnarunt hæretici bene multi. Inter recentiores numerantur Zuingliani & Calvinistæ, à negatâ catholicâ hujus Sacramenti existentia vulgò dicti Sacramentarii. Zuingliani admittunt præsentiam Christi duntaxat figuratam. Calvinistæ realem, ut ipsi quidem aiunt, sed non nisi virtualem admittunt. Catholici verò profitentur Christi Corpus & Sanguinem in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento adesse verè, realiter & substantialiter, sicut definitum est à Concilio Tridentino. In propugnando dogmate illo catholico non omnes probationum fontes scrutabimur: utemur tantùm Scripturæ & Patrum antiquiorum autoritate, ad quam hac in controversiâ appellare solent adversarii.

PRÆSENTIAM veram, realem ac substantialem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ evincunt verba Christi Domini tum promittentis Eucharistiâ Joannis 6. tum eandem instituentis: hæc super panem, *Hoc est Corpus meum*; ista super vinum, *Hic est enim Sanguis meus*. Quod spectat verba promissionis, frustra dixerunt etiam Catholici quidam non ibi agi apud Joannem de Eucharistiâ, sed de Incarnatione, Incarnationisve fide. Præterquam quod enim in eo recedunt à communi Theologorum, imò sanctorum Patrum opinione, ipsiusque Ecclesiæ sensu, refelluntur adhuc vel ipso loci contextu. Multò perperam magis verba institutionis Eucharisticæ detorquere velint Sacramentarii ad sensum figuratum, qui seipso ruit.

NEC minùs aperta est Patrum etiam antiquiorum fides ac sententia pro catholicâ Christi præsentia. Testimonia quæ Catholici afferunt ex Patribus, qui vixere septem prioribus Ecclesiæ sæculis ad astruendam corporalem Christi præsentiam in Eucharistiâ, ea solvi à Sacramentariis nequeunt; quæ verò ex iisdem Patribus proferunt Sacramentarii adversùs realem præsentiam, ea rectè solvuntur à Catholicis. Veritatem, quam tuemur, non modò non oppugnarunt, sed potiùs aperte tradiderunt Tertullianus, Augustinus, &c. Quod dum probamus, revincimus hæreticam Calvinii confidentiam gloriantis Scriptores, qui totis quinque prioribus Ecclesiæ sæculis vixerunt, patrocinari opinioni suæ.

MULTI volunt Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistiâ, sed alii alio modo. Berengarii tempore quidam ex ejus discipulis volebant Christum fieri panem in Eucharistiâ, non mutando panem in seipsum, sed assumendo hypostaticè panem, eo fere modo quo semper docuerunt Catholici Verbum esse factum carnem in utero Virginis, non mutando carnem in seipsum, sed assumendo hypostaticè carnem. Qui sentiebant ita, dicti sunt Impanatores, ob impanationem quam admittebant. Hanc sententiam omnino esse rejiciendam neque posse impanationem absque hæresi propugnari, asserimus.

NOMINE consubstantiationis intelligitur conjunctio unius substantiæ cum aliâ substantiâ, non hypostatica, de quâ dictum modò, sed merè localis. Talem in Eucharistiâ finxere Berengariani quidam post damnationem sui magistri, eamque longo post tempore renovavit Lutherus, dicens Christum non quidem impanari, neque enim audet hoc dicere, sed quasi impanari, hoc est, esse in pane, cum pane, sub pane, ut vinum est in dolio, ignis cum ferro, tabella sub velo. Consubstantiationem neque etiam catholicè defendi posse probatur manifestè tum traditione Patrum & definitione Conciliorum, tum Scripturâ etiam solitariè sumptâ.

ALIIQUI dicunt idem ferè in Eucharistiâ fieri vi consecrationis quod fit in nutritione vi manducationis & bibitionis: sicque explicant suum systema. 1°. Supponunt formam corporum, quæ distinguit alia ab aliis, consistere in solâ partium modificatione. 2°. Volunt materiam panis & vini vi consecrationis transire à formâ panis & vini ad formam carnis & sanguinis. 3°. Addunt ad materiam sic transformatam accedere vi ejusdem consecrationis unionem physicam animæ Christi & hypostaticam Verbi. Quibus positis, concludunt panem consecratione converti in veram carnem & vinum in verum sanguinem Christi. Hoc systema hætenus in Ecclesiâ Dei inauditum, ad humanæ mentis captum accedere dum videtur, à principiis fidei recedit.

TRANSSUBSTANTIATIO, qualis à Catholicis defenditur, dicit tria. 1°. Absentiam totius substantiæ panis & vini. 2°. Præsentiam Corporis & Sanguinis Christi. 3°. Remanentiam specierum. De transsubstantiatione sic intellectâ 1°. Afferimus eam & esse admittendam, probamusque ex Scripturæ verbis, & semper esse admissam in Ecclesiâ à Christo nempe usque ad nos, probamusque ex traditione Patrum non interruptâ. 2°. Dicimus eam esse de fide, utpote definitam à Conciliis, imprimisque à Tridentino sessione 13. canone secundo, ubi post assertam expressè mirabilem ac singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, addit conversionem illam aptissimè transsubstantiationem à Catholicâ Ecclesiâ appellari.

CIRCA Pœnitentiam primis, potissimùm & extremis Ecclesiæ temporibus variè errarunt varii hæretici. Montanistæ sub finem sæculi secundi Pœnitentiæ Sacramentum non quidem sustulerunt omnino, sed multum imminuerunt, peccata quædam graviora dimittendi potestatem Ecclesiæ auferendo. Montani errorem fere extinctum interpolando suscitaverunt multoque celebriorem reddiderunt medio sæculo tertio Novatiani. Horum erroris triplex veluti distingui potest status. In primo non fuerunt fortasse nisi schismatici. In secundo omnem clavium potestatem ademerunt Ecclesiæ. In tertio argumentis Catholicorum pressi ad errorem Montanistarum redierunt. Extremis temporibus Protestantes hæretico insistentes fidei justificantis principio, catholicam de Pœnitentiâ doctrinam totam pessumdederunt.

XLI.

Potestatis clavium existentia.

ADVERSUS hæreticos illos hoc unum statuimus, inesse Ecclesiæ potestatem peccata quævis & quovis tempore post Baptismum admissa remittendi. Hanc Christus Ecclesiæ suæ promisit Matth. 16. & 18. promissam dedit Joan. 20. Hanc unanimi consensu tribuunt Ecclesiæ Patres omnes, sive cum interpretantur indicata Scripturæ testimonia, sive cum eam ipsi competere docent ex professo ac probant agentes adversus Novatianos. Hanc sibi arrogavit semper Ecclesia, quæ à temporibus primis ut hæreticos habuit ac damnavit eos qui generalem peccata remittendi potestatem negare vel imminuere attentarunt.

XLII.

Potestas clavium verè remissiva peccati.

EX malè intellectis Hieronymi præsertim, Augustini, atque Gregorii Magni locis quibusdam, ubi comparant Sacerdotes Evangelicos cum Sacerdotibus Leviticis, peccatoris resipiscenciam cum suscitatione Lazari, exortus est sæculo duodecimo novus circa potestatem clavium error. Hunc propugnarunt multi magni nominis Theologi, in uno quidem consentientes quod Ecclesia non habeat potestatem nisi peccata remissa declarandi, non autem remittendi verè quoad culpam; in ipso autem propugnandæ hujus opinionis modo valde dissentientes. Nos contra defendimus, inexistentem Ecclesiæ potestatem generalem peccata remittendi esse potestatem peccata remittendi verè ac propriè etiam quoad culpam.

XLIII.

Potestas clavium judiciaria.

POTESTAS generalis, quam habet Ecclesia peccata remittendi, exercetur in baptizatos per actum verè judicalem, sive quod idem est, actus quo Sacerdotes absolvunt baptizatos à peccatis, est actus verè judicialis. In illo reperias omnia quæ ad naturam judicii pertinent: scilicet judex & reus, accusator & defensor, crimen & sententia. Reus est peccator, judex Sacerdos vicem Dei vel Christi gerens, &c. Assertio prædicta est de fide contra hæreticos decimi sexti sæculi, eorumque asseclas, quicumque justificationem peccatoris tribuentes soli promissionum fidei, potestatem absolvendi revocant ad nudum ministerium annuntiandi promissiones evangelicas de remissione peccatorum per Christum, quas fide apprehendant qui justificantur.

XLIV.

Pœnitentia Sacramentum à Baptismo diversum.

HÆRETICI qui negant Pœnitentiam esse Sacramentum, ex hoc errore in alium prolapsi sunt. Cum enim, damnatis Novatianis, non potuerint negare peccata post Baptismum commissa remitti per Ecclesiam, & posse aliter remitti quàm Sacramento dicere ausi non sint, docuerunt ea remitti per Baptismum, non quidem de novo susceptum realiter, quippe realiter initerabilem, sed de novo memoriâ repetitum; quæ Baptismi memoria includens memoriam promissionis evangelicæ de remissione peccatorum sufficit ad fidem justificantem excitandam, licet Baptismus realiter non iteretur. Ita illi. Nos tuemur ut fide certum, Pœnitentiam 1°. esse Sacramentum novæ Legis propriè dictum. 2°. Esse Sacramentum à Baptismi Sacramento diversum.

XLV.

Confessio sacramentalis.

CONFESSIO sacramentalis in re vel in voto necessaria est ex institutione Christi, seu jure divino, homini post Baptismum in lethale peccatum lapsa, ad obtinendam peccati remissionem. Ita definiit expressè Tridentinum variis canonibus sessione decimâ quartâ; atque hoc quidem sufficit pro Catholicis: sed adversus hæreticorum calumnias ipsa judicii hujus æquitas ostendenda est. Duobus id præstamus argumentis. Primum suppeditat Scriptura per Patres explicata. Illi sic volunt concessam esse à Christo Ecclesiæ peccata remittendi potestatem, ut doceant 1°. peccata lethalia post Baptismum commissa non aliter posse remitti, quàm per potestatem clavium. 2°. Sacerdotes in ejusmodi potestatis exercitio judices esse peccatorum ac vindices; ex quibus duobus evidenter colligitur necessariam esse jure divino Confessionem.

XLVI.

Perpetuus Confessionis in Ecclesiâ usus.

ALTERUM argumentum exhibet perpetuus Confessionis in Ecclesiâ usus. Quo enim pacto rei tam difficilis, tam alienæ à naturâ usus induci, ac tandiu perseverare potuisset, nisi credita fuisset Confessio ad obtinendam peccatorum remissionem absolutè necessaria, atque adeo ab ipso Christo instituta ac præcepta. Certè eò usque auctoritatem Ecclesiæ nequaquam pertingere, hæretici non fatentur tantùm, sed etiam contendunt, & Ecclesiam Romanam hoc ipso nomine, quod fidelibus jugum Confessionis imposuerit, injustitiæ ac tyrannidis accusant. Porro perpetuum fuisse in Ecclesiâ Confessionis usum probat constans & unanimis Patrum traditio, peccata lethalia non tantùm publica, sed etiam occulta, & quidem omnia confitendi necessitatem passim & ubique inculcantium.

XLVII.

Factam Nectarii.

FRUSTR A igitur primam Confessionis originem ad initia Novatiana hæreseos adversarii referunt. Equidem his primùm temporibus institutus est Pœnitentiarius. Cùm enim nimia in admittendis quibuscumque peccatoribus indulgentiæ Ecclesiam incusarent Novatiani, huic offensioni ut occurrerent Episcopi, 1°. canonicas pro certis peccatis gravioribus pœnas decreverunt. 2°. Certum quemdam Presbyterum ad pœnas illas exigendas præfecerunt. Ad hoc tantùm institutus est Pœnitentiarius, non verò ad audiendas peccatorum quorumlibet Confessiones. Hinc perperam omnino dicitur quod Nectarius, sublato Pœnitentiaro ejusque officio penitus rescisso, Confessionem sacramentalem abrogaverit.

XLVIII. *Sententia S. Chrysostomi de necessitate Confessionis.*

EX Patribus Græcis objicitur nobis potissimùm Chrysostomus. Is equidem difficiliora habet circa necessitatem Confessionis, quàm Patrum ullus. Commendat passim Confessionem soli Deo faciendam; imo eam solam sufficere aliquando innuere videtur. Inde Lutherani & Calvinistæ negantes præceptum Confessionis divinum, Chrysostomo duce aut certè fautore præcipuo gloriantur. Verùm ista quamvis difficilia, & necessitati Confessionis primâ fronte pugnancia, reverâ tamen catholico dogmati non officiunt; favent autem non obscure quæ variis in locis habet, ubi necessitatem Confessionis tradit sive implicite, principia, unde res certò deducitur, ponendo; sive explicitè, rem ipsam disertis verbis asserendo.

P A R S T E R T I A.

DE AUXILIIS AD COLENDUM DEUM, & finem ultimum assequendum necessariis.

XLIX. *Causa gratiæ meritoria.*

GRATIA statûs nostri quæcumque, fructus est meritorum, quæ suo sanguine acquisivit Christus. Porro ille mortuus est pro salute non temporali tantum, sed etiam æternâ omnium & singulorum hominum, nullo excepto: non eo tantum sensu, quod sanguis Christi fusus pretium sit sufficiens atque etiam superabundans ad omnia peccata expianda, alioquin & pro æternâ dæmonum salute mortuus verè dici possit: sed etiam eo sensu quod pro omnibus & singulis hominibus Christus mortem & offerre voluerit, & reipsâ obtulerit Patri, ita ut omnibus & singulis media verè sufficientia ad salutem æternam promeritus sit.

L. *Gratiæ definitio.*

GRATIA Dei per Christum, eaque actualis interior, si ratione conceptus spectetur, est auxilium gratuitum, supernaturale, transiens, interius à Deo propter Christi merita subministratum homini ad bene agendum, & abstinendum à malo: si secundum rem ipsam sumatur, consistit in illustratione intellectûs, seu piâ cogitatione mentis, & inspiratione seu motione voluntatis, juxta illud Tridentini, *Tangente Deo cor hominis per Spiritûs sancti illuminationem*. Dividitur in prævenientem & adjuvantem, &c. præveniens in efficacem & sufficientem.

LI. *Hæreticorum de gratiâ efficaci systema.*

UNDE repetenda sit gratiæ efficacia, nodus est in Theologiâ fere inextricabilis: quem ad solvendum, varia excogitata sunt systemata. Gratiæ efficaciam in eo reponere, quod sit motio cui voluntas non possit resistere, ut volunt Lutherus & Calvinus; aut delectatio victrix cui necessario obsequatur, ut vult Jansenius, hæresis est ab Ecclesiâ anathemate percussa non semel. Nihil probant quæcumque afferuntur ex Augustino ad astruendam hanc sententiam; non illud expositionis in c. 5. Ep. ad Galatas: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*: non quod legitur de adjutorio quo, l. de corr. & gratiâ; non, &c. Imo sanctus Doctor cum Scripturâ & Conciliis errorem hunc apertè rejicit.

LII. *Varia Catholicorum de gratiâ efficaci systemata.*

VIM illam gratiæ infallibilem malè etiam constituas in eo quod hominis voluntatem physicè prædeterminet ad talem determinatè actum. Quomodo enim prædeterminatio physica conciliari cum libertate possit, non satis intelligitur. Neque etiam gratiæ efficacitas videtur repetenda aut à solo eventu, aut à quâdam præcisè gratiæ cum voluntate congruentiâ, quæ sit ipsius vel vehementiâ major, vel quâdam cum præsentibus voluntatis affectibus comperatio: aut denique à multitudine gratiarum possibilitum, quas Deus alias ex aliis dare decreverit, donec aliqua tandem intentum sortiatur effectum.

LIII. *Verum de gratiâ efficaci systema.*

DISCRIMEN utriusque gratiæ in eo positum esse contendimus, quod gratia, quæ dicitur efficax, prævisa sit effectum habitura, si detur; gratia verò, quæ dicitur sufficiens, prævisa sit non habitura effectum, si detur. Jam verò ubi gratiam decernit Deus, accedit nova discriminis ratio, quod gratia efficax detur ex intentione efficaci boni operis & ex prævisione futuri consensûs, adeoque & quod sit speciale beneficium: sufficiens verò detur ex intentione conditionatâ tantum, sed sincerâ operis boni & cum prævisione futuri dissensûs.

LIV. *Scientia media.*

HOC ultimum de gratiâ efficaci systema principiis nititur omnino duobus, quæ traduntur tum in sacris codicibus, tum passim à sancto Augustino. Primum est, dari in Deo scientiam conditionalium, quâ certò videat quid acturi essent homines singuli, si certæ quædam iis gratiæ certis quibusdam in circumstantiis darentur. Alterum est, scientiam illam Deo in decretis suis formandis prælucere. Hinc in Deo agnoscendam contendimus prævisionem illam, quæ in Scholis venire solet nomine scientiæ mediæ.

LV. *Usus scientiæ mediæ.*

OP E scientiæ mediæ servantur accuratè & conciliantur hæc tria, quæ docet fides, & quæ in alio quolibet systemate theologico non videntur tam accuratè conciliari. Primum est, Deum esse omnipotentem in tractandis hominum voluntatibus, habere *humanorum cordium, quo placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem*. Secundum est, *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire, si velit*. Tertium est, primam discretionis causam in negotio salutis Deo tribui oportere, quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*.

LVI. *Gratia sufficiens.*

PRÆTER gratiam efficacem, quæ effectum caret nunquam, admitti debet etiam in statu naturæ lapsæ gratia verè simul ac merè sufficiens; verè quidem sufficiens, quia dat verum posse bene agere; merè autem sufficiens, quia semper caret effectum, & quidem ex solâ voluntatis culpâ. Quisquis hanc veritatem negaverit, illum apertissimis Scripturæ sacre, Conciliorum, Summorum Pontificum, sanctorum Patrum, ac præsertim S. Augustini testimoniis refragari necesse est.

LVII. *Discrimen gratiæ sanitatis à gratiâ medicinali.*

HINC gratia sanitatis à medicinali gratiâ non differt in eo quod illa esset talis, cui voluntas consentire posset, vel dissentire; hæc verò sit necessitans, aut naturâ suâ efficax. Juxta nos in eo discrepant, quod gratia medicinalis sit gratia actualis interior tum intellectûs, tum voluntatis: gratia verò sanitatis esset cum justitiâ originali habituali, quæ tolleretur ignorationem veri & difficultatem recti, gratia actualis intellectûs tantùm, non quâ primus homo disceret quod habitualiter non ignorabat, sed quâ ad id, prout occasio postulabat, attenderet.

LVIII. *Gratiæ necessitas.*

HACTENUS de naturâ gratiæ actualis interioris: agendum nunc de ejusdem necessitate ac distributione. Quod spectat primum, nullum opus salutare, sive sit fides, sive aliquod fide majus aut minus, sine verâ Christi gratiâ interiore fieri aut etiam inchoari potest. Nemo potest per naturæ vires solas se disponere ad gratiam, aut facere quidquam cujus intuitu gratiam certò consequatur. Vulgaris axiomatis, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, sensus est, quod Deus homini ope prævenientis gratiæ quod in se est facienti gratiam non deneget ulteriorem, v. g. fidei aut conversionis.

LIX. *Gratiæ distributio.*

QUOD attinet ad secundum, gratia salutis, sive gratia ad negotium salutis procurandum necessaria & verè sufficiens datur omnibus. Quoties urget præceptum aliquod, adest implendi illius præcepti gratia vel proxima, vel saltem remota, & ea quidem quæ det verum posse obtinere proximam: auxilium illud proximè aut remotè sufficiens nemini deest, non justis nequaquam perseverantibus, non peccatoribus obduratis & excæcatis, non ipsis etiam infidelibus. Itaque tum qui labitur in peccatum, tum qui è peccato non emergit, malitiam non potest nisi suam arguere.

LX. *Hæreses circa gratiam.*

CIRCA gratiam erraverunt hæretici varii variis temporibus. Inter veteres eminent Pelagiani & Semipelagiani: inter recentiores Calviniani & Lutherani. Hi liberi arbitrii viribus, illi gratiæ auxilio non tribuebant satis. Hi negotium salutis ita Deo adscripsere, ut possent non immeritò, qui reprobantur, suæ reprobationis causam in Deum transferre; illi, ne Deum facerent acceptorem personarum, hominem fecere suæ authorem salutis.

LXI. *Pelagianismus.*

PELAGIANI scilicet existimantes primum hominem peccando sibi soli nocuisse, easdem, quæ fuissent in Adamo innocente, hominibus vires tribuerunt. Vires illas naturales asseruerunt ad salutem ex sese sufficere. Licet Pelagius multiplex gratiæ genus admiserit, possibilitatem naturalem, remissionem peccatorum, æternam beatitudinem, adoptionem in filios Dei, legem & doctrinam, exemplum Christi, nunquam tamen gratiæ interioris actualis, quæ daret verum posse & agere, necessitatem agnovit.

LXII.

Semipelagianismi origo & damnatio.

SCRIP TIS sancti Augustini contra Pelagianos offensi sunt in Galliis, Massiliæ præsertim, nonnullorum animi, atque ex Pelagianismo Semipelagianismum condere cœperunt. Erroris defensores præcipuos fuisse Cassianum Faustumque Reïensem, sunt qui asserant. Sexto duntaxat sæculo omnino proscriptus fuit illorum error in Arausicanâ Synodo secundâ, curâ Cæsarii Arelatensis habitâ, & à Bonifacio Summo Pontifice approbatâ. Semipelagiani alii aliis tolerabilius erraverunt.

LXIII.

Verus Semipelagianorum error.

IN eo tamen erraverunt omnes, quod admitterent bonum aliquem liberi arbitrii gratiæ auxilio destituti nondumve adjuti usum, cujus seu merito, seu intuitu daretur gratia ad negotium salutis ulterius promovendum vel consummandum necessaria: non autem in eo quod gratiam, quam ad ipsum salutis initium necessariam faterentur, negarent esse seipsâ efficacem, aut talem dicerent, cui voluntas resistere possit vel consentire. Quod postremum Summi Pontifices damnaverunt ut hæreticum.

LXIV.

Zozimus & Patres antiqui ab errore vindicati.

ZOZIMUS de Cœlestii & Pelagii personis sensit quidem aliquando benignius: sed eorum errorem approbavit nunquam. *Voluntas emendationis*, inquit Augustinus, *non falsitas dogmatis approbata est.* Semipelagianis prælusisse Patres antiquos, idemque cum ipsis de fidei initio sensitisse calumnia est tam perniciofa Ecclesiæ quàm Patribus illis injuriosa; à quâ vindicamus meritò tum Patres Græcos, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, &c. tum Patres Latinos, Hilarium, Ambrosium, &c. non omnes tamen; id enim de Origene diffiteri ipsius verba non patiuntur.

LXV.

Prædestinatianismus.

EX malè intellectis Augustini libris emerfit Pelagianæ & Semipelagianæ hæresi hæresis opposita Prædestinatiana. Juxta illam docetur per peccatum Adami amissam esse prorsus indifferentiæ activæ libertatem, Deumque ante ullam meritorum aut demeritorum prævisionem, hominum alios ad vitam æternam, alios ad æternam mortem destinasse, impositâ utrisque ineluctabili necessitate, ut eò pergant, quò destinati sunt. Consequenter asseritur Deum velle prædestinatorum duntaxat salutem, & Christum pro solis prædestinatis sanguinem fudisse.

LXVI.

Varie Prædestinatianismi ætates.

NON est Prædestinatianismus phantasma quinti aut noni sæculi, ut Janseniani clamitant. Hanc hæresim sæculo quinto professus est, quam tamen deseruit postea, Lucidus Presbyter. Hanc dudum extinctam instauravit sæculo nono Gothescalcus Orbacensis Monachus. Damnata est ejus doctrina in Moguntinâ Synodo sub Rabano Moguntiae Archiepiscopo, & in Carisiacâ primâ sub Hincmaro Rhemenfi. Nihil Concilium Valentinum Capitulis Carisiacis contrarium sancivit. Libri Ecclesiæ Lugdunensis nomine editi neque excusant Gothescalcum, neque doctrinam ejus continent. Prædestinatianam hæresim sæculo decimo sexto fecere suam Lutherus & Calvinus, à quibus & suos demum errores Jansenius Yprensis mutuatus est.

LXVII.

Janſeniſmus.

HIC recente memoriâ gratiæ Doctoris auctoritatem ementitus, prædeſtinationem propugnavit, quæ liberum hominis arbitrium ſeu libertatem indifferentiæ funditus everteret, dum gratiam efficaciem eſſe neceſſitantem aſſeruit. Idem paſſim gratiam verè ac merè ſufficientem naturæ innocentis propriam facit, atque à ſtatu naturæ lapſæ rejicit prorsus ut *adjutorium lapſorum reparationi inutile, ut gratiam monſtroſam, ut gratiam, quam qui aſſerit, nihil aliud imprudens facit, quàm ut originalis peccati virus evacuet.* Hæc de Janſenio negare non auſit, niſi qui Summorum Pontificum duplicem hunc errorem, ut traditum à Janſenio, damnantium auctoritatem apertè contemnat.

F I N I S.

